

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exordium

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

Rem ipsam verò quod attinet, omniscientia est proprietas solius Dei, Jer. 17, 10. Psalm. 139. v. 2. ideò nullum est dubium, quin Christus juxta divinam suam naturam omnia sciat: sed humanitati ejus nonnulli id omninò denegant, nosq; qui illud eidem attribuimus, Eutychnismi insimulare non verentur, prætendentes, quòd nos discrimen naturarum tollere, & humanam, naturam divinam, æquare hoc ipso velimus. Sed injuriam nobis inferunt. Secundum enim divinam naturam omniscius est Christus *ὡς ἰσθῶς*, velut filius patri coæternus: secundum humanam verò naturam, hæc & alia divina idiomata in tempore accepit *ὕπoστικῶς*, vi unionis personalis, ita ut quoad divinam naturam sint & maneat naturalia idiomata: juxta humanam verò sunt *χαρισματα*, quæ ipsi vi unionis personalis communicata sunt. Itcirò manet hoc discrimen, quod divina natura maneat divina natura, & humana maneat humana natura, sicut videmus, ignem ferro proprietates suas communicare, ut luceat & urat, & tamen proprietates hæc non sunt ferri sed ignis, ut veteres hoc mysterium per hoc simile explicarunt.

Quia verò Christus tum temporis in statu Exinanitionis constitutus, plenarium divinam Majestatis & gloriæ usum deposuerat, Phil. 2. v. 7. ita ut non semper, sed quan-

do & quomodo ei libuit, eam usus est: ideò hoc dictum magis de *κτῆσει* communicatæ omniscientiæ, quam de plenariâ *χρῆσει* intelligendum est. Verè enim in statu Exinanitionis nonnulla ignoravit. Vide Matth. 21. v. 19. Marc. 13. v. 32. ideoque ut alius puerulus ctevit, sapientiâ, ætate, & gratiâ apud Deum & homines, Luc. 2. v. ult.

Quodsi enim communicatâ divinam Majestatem & potestate plenariè uti voluisset, Judæi ipsum neque capere neque vincire, neque crucifigere atque occidere potuissent, & sic opus redemptionis humanæ impeditum fuisset. Ideo seipsum exinanivit, & servi formam induit, Phil. 2. v. 7. nostri causâ, ut ipse ait: servire me fecisti in peccatis tuis, Esa. 43. v. 24. Sed nunc omnia scit, & potest, nunc ubique quoque præsens est nobis, secundum utramq; naturam, & liberare valet omnes, qui ipsum invocant, quod consolatione plenum est in omnibus adversitatibus. Quodsi enim omnia scit, ideoque & quibus nos indigemus, novit, Matth. 6. v. 32. Et quomodo pater miseretur filiorum, miseretur timentium se, Psalm. 103. v. 13. ut non destituantur omni bono, Psalm. 34. v. 11. sed vitam habeant, & abundantius habeant, Joh. 10. v. 10. Quod nobis omnibus ex gratiâ largiri dignetur, Deus ter Opt. Max. propter Servatorem nostrum Jesum Christum, Amen.

Dominica Exaudi.

Evangelium, Iohan. 15. v. 26. c. 16. v. 1. --- 4.

EXORDIUM.

Cum Deus septuaginta seniores Mose in officio adjungere & ordinare vellet, ipse descendit per nubem, auferens de Spiritu, qui erat in Mose, & dans septuaginta